



DE

מלך סבא ושבא

h. e.

REGIBVS SEBAE ET SCHEBAE

EX PSALM. LXXII, 8.

PRAEFATVS

AD

ORATIONEM ANNIVERSARIAM

MEMORIAE

NOMINIS IENICHIANI

DESTINATAM

OBSERVANTER INVITAT

M. IO. GOTTL. BIDERMANN

RECT. GYMN.

FREIBERGAE,

Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII.

CXXXXIII.

Adecuratam locorum et temporum notitiam, quam Graeci geographiam et chronogiam adpellant, duo esse fulca, quibus omnis historiae ratio innitur, nemo inficias ire potest. Nam nisi certum atque exploratum habeamus, ubi et quando res aliqua gesta sit, aniles fabulas audire vel legere videbimur, hominibus excordibus in-
 cundas, iis autem, qui sapientia et consilio valent, ingratas atque odiosas. Vtra-
 que igitur cognitio momentum grauissimum adfert ad veterum monumentorum fidem tam illustrandam quam confirmandam. Neque solum in libris profanis explicandis hunc usum praeflat, sed plurimum etiam valet, ad ea, quae in litteris sacris narrantur, recte intelligenda; id quod testimonio in fronte huius scripti adlegato ostendemus. Vbi enim vates diuinus in Psalmo LXXII. amplissimum Messiae regnum futurum, et maximam profanarum gentium copiam eiusdem imperio subiiciendam, animo praeuidens admiratur, Sabaeorum obse-
 quium et religiocem imprimis commendat his verbis: מֶלֶךְ שָׁבָא אֲשֶׁר יִקְרַב וְאַשְׁכֵר, h. e. reges Schebae et Sebae adferent. Merito autem quaerimus, quinam hi populi fuerint? Et initio quidem audiamus, quid ii respondeant, qui littera-
 rum sacrarum oracula in variis sermonem transtulerant. Ita nempe LXXes: Σεβαίς Αραβῶν πολ. Σαβᾶ: ita CASTELLIO: Arabes et Sabaei: ita Sam.
 BOHLIVS: a) Die Kenige aus Schaba und Saba: ita Aemil. Franc. PОР-
 ТВС: b) ἀμύρα τῶν Αραβῶν σκηνητέχοι τοι τε Σαβᾶων: h. e. coniunctim
 sceptrigeri Arabum et Sabaeorum: ita Georg. BUCHANANVS d): Reges Ara-
 bum beati thuris et dites venient Sabaei: ita Theod. BEZA: d) qui torrida
 longe arua tenent, et sacra legunt qui thura Sabaei: ita Adam. SIBERVS: e)
 submissa metuent Dominum diadematate gentes, thuriferique Arabes, diues et Assyria.
 Ex quibus adparet, plurimos in transferendis vocibus נְסָה et נְסָה vnam atque
 eandem sententiam tenuisse, Arabes autem et Sabaeos eodem fere sensu con-
 innixisse, quo VIRGILIVS illos coniunxit, canens f):
Omnis Arabs, omnes verterunt terga Sabaei.

Originem autem horum nominum נְסָה et נְסָה inquirentes, alios aliam statuere,
 videmus. Et quidem ieiuna est PLINII etymologia, qua Sabae nomen ex Graeco σαβεδαι deriuat, g) putans, Sabaeos a mysterio singularis cultus ita adpellari. Neque senior HESYCHII est sententia, Σαβᾶ per αἰχμαλωσίαν explicantis, h) et hoc nomen ad Hebraicum נְסָה, captiuum duxit, referentis, quia sci-
 licet honor regius apud Sabaeos potius captiuitatis quam dignitatis rationem ha-
 buit. i) Einsdem pretii eorum est opinio, qui perhibent, illos nomen a סָבָא
 in-

- | | |
|---|-----------------------------------|
| a) in Analytica paraphr. psalm. p. 287. | b) in Versione psalm. metr. h. l. |
| c) in Metaphr. psalm. | d) in Metaphr. ad h. l. |
| psalm. LXXII. | f) Aen. VIII. 706. |
| h) in Lex. voc. Σαβᾶ. | i) Bochart Phal. p. 132. |
| | g) Hist. Nat. L. XII. c. 13. |

inebriari, traxisse, quia Sabaei, AGATHARCI^E teste, k) erant *xugos
martrios ἐνδαινοῦσι*, i. e. omnis generis deliciis adfluentes. Tolerabilius enim ratio videtur, qui ex radice Σάβω saturari, hoc nomen propullulasse, arbitrantur, quia regio Sabaea plurimis opibus abundauit. l) Frigidum autem ingenii lusum derinatio Nic. LYRAE sapit, qui Sabaeos a Σάβω conuerti, ideo dici statuit, quia Spiritus S. praeuidit, eos aliquando ad Deum conuersum iri. m) Reclius harum gentium nomen ex Arabicō Σάβω vel Σάβω deditur, quod eminentiam significat, quae etymologia non solum situm regionis respondet, sed etiam cum incolarum statura exacte conuenit, qui *viri proceri* dicuntur, n) et quos AGATHARCI^E his verbis depingit; τὰ σωματα τῶν κατοικεντῶν εἶνιν ἀξιολογωτέρα, h. e. Sabaeam incolentium corpora reliquis sunt spectabiliora.

Vbi vero hi populi sedem ac domicilium haberint, facillime cognoscemus, primum eorum ortum repetentes. Scilicet inter Noachi posteros, quorum coloniae vniuersum orbem terrarum occuparunt, quatuor viri, Seba nomine insigniti, a scriptore sacro commemorantur, quorum primum littera Σ a ceteris distinguit, qui per Σ scribuntur. Et ille primus quidem filius erat Chusī, o) secundus eiusdem nepos ex Reginā natus; p) tertius loctanem patrem habebat, q) et quartus suos natales ad Ioksanēm, Abrahā ex Ketura nepotem, referebat. r) Praeterea hi non solum in eo differebant, quod primus et secundus filius ex familia Chamī, tertius autem et quartus ex Semi posteris nati erant; sed etiam alias atque alias fides occupauerunt, quia primus secundus et quartus iuxta sinum Persicum confederant, tertius autem prope mare Arabicum sedem constituerat: qua mente PLINIVS Sabaeos ad utrumque mare porreſſos adpellat. s) Imo hoc etiam discrimine internoscuntur, quod ex primo secundo et tertio ordine nati negotiis et commerciis seruirent, ex classe quarta vero procreati rapinas et latrocinia exercerent.

Itaque ii Sabaei, qui nomen Σάβω a Chusī filio iam commemorato acceperunt, sedem suam haud procul a rubro mari fixerunt, quod duae urbes ex nomine conditoris Sabe dictae, eodem in terrae tractu testantur. Et huius quidem regionis incolae tam mercaturae laude, quam forma corporis spectabiliter famam insigne sibi compararunt. Illud ex verbis prophetae intelligitur, Tyrūnum, urbem commerciis florentissimam, hoc modo compellantis: s) Mercatores Sabaei omne genus aromatum praestantissimorum itemque gemmas et aurum ad tuas nundinas comportant. Staturaē vero habita ratione lesaias hosce Sabaeos, ex profapia Ghusi proguatos, מִנְשָׁה, h. e. viros mensuræ adpellat, t) qui

k) Cap. 50.

l) Funger. Origin. p. 685.

m) Commentar. in Ps. 72.

n) Cap. 50.

o) Gen. X, 7.

p) l. e.

q) Gen. X, 28.

r) Gen. XXV, 3.

s) Hist. Nat. L. VI. 28. Ezech. XXVII, 22.

t) Cap. XLV, 14.

qui LXXlibus ἀνδρες ὑψηλοι eodem sensu nominantur, qua Chananaei חנאנאים מרים et Gr. ἀνδρες ὑπερμηκεις, u) Goliathus גולייתス, Gr. ἄνης ὑπερμεγεθης, w) et dominus ardua הרים בירם nuncupantur. x) Ceterum negari non potest, quod de horum Sabaeorum rebus gestis parum constet, quia Gerrhaei, ex Babylone aduenae, procul dubio nomen ex יְרֵא h. e. peregrinis nacti, illorum vires attriuerunt et facultates perdiderunt, quod STRABO his verbis indicat; y) πεζευποροι Σαβαιοι το πλεον των Σαβαιων Φροτιων απωλεσαν, h. e. Gerrhaei negotiationibus celebres, mercaturam Sabaeorum pessundederunt.

His igitur missis, ad eos Sabaeos nos connertimus, qui סבאים dicuntur, et quorum triplex classis in historia sacra recensetur. Et ad primam quidem illi referuntur, qui Chusi nepotes et filii Rheimae fuerunt, quod ex loco supra citato constat. Hos autem eam Arabiae Felicis partem tenuisse, quae osium maris Persici et Carmaniae provinciam tangit, scriptores geographi uno ore testantur. Nam vbi ARRIVANVS de Carmanis agit, z) inter alia ὁγη μεγιστα των Σαβαιων, h. e. vastissimos Sabaeorum montes recenset. Et sicuti huius Seba frater, scriptura sacra teste, a) Dedan erat; ita haec terra Dedanis cum regione Sebae proxime erat coniuncta, quod non modo inspectio tabularum geographiarum docet, sed ea etiam sacri codicis oracula probant, vbi Sabaei et Dedanaei consociantur. b) Neque tamen hoc silentio est praetermittendum, alium Dedanem filium Ioksanis fuisse, ex familia Abrahami procreaturn, c) qui urbem sui nominis in Idumaea condidit, d) commerciis et negotiatiis celebrem, e) quod testimonio prophetae constat, qui de Tyro vaticinans, dicit: f) Dedaniae tui negotiatores erant. Et hanc Idumaeae urbem quarto lapide ab urbe Phu non sitam fuisse, HIERONYMVS testatur, g) vbi non solum Israelitae peregrinantes stationem habebant, h) sed quae etiam venis metallicis abundabat, ad quas fodiendas homines suppliciis mancipati damnabantur, quod CELLARIUS idoneis testimoniis confirmat. i) Vbi vero ad Sabaeos, ex Rheimae genitos rediunus, eorum expressissima vestigia in Carmania reperimus, in qua PTOLEMAEVS urbem Sabin recenset, MELA vero fluminum eiusdem nominis commemorat, k) et quos populos Pasargidis vicinos DIONYSIUS PERIEGETES his verbis repreäsentat:

πρωτα Σαβαι, μετα της δε Πασαργαδας.

Has autem Pasargidas Persidem iuxta mare rubrum incoluisse, HERODOTVS docet. l) Atque ex huius Sabae regum profapia ante annos abhinc fere septingentos

- | | | | |
|--|--|---|---|
| a) Num. XIII, 32.
c. VI. p. 766.
Ezech. XXXVIII, 13. | w) 2. Sam. XXI, 20.
z) in Peripl. III, 2.
XLIX, 8. Ezech. XXV, 13. | x) Ier. XXII, 14
a) Gen. X, 7.
c) Gen. XXV, 3.
e) Ezech. XXVII, 15.
h) Num. XXXIII, 42, 43.
k) L. III, c. 8. | y) L. I.
b) e. g.
d) Ier. XXV, 23.
f) l. c.
i) Geogr.
j) L. I. c. 125. |
| g) Comment. in Numer. I, c.
Ant. Vol. II. p. 682. | | | |

tos ortum Muhamedem, Dramku cognominatum, in Carmaniam et insulas adiacentes maximas Sabaeorum copias deduxisse, et urbem Armuzam, (quae hodie Ormus adpellatur,) condidisse, ex chronicis regum Armuzae, quod Persico sermone rex Armuzae contexuit, Petrus vero Teixeira in Hispanicam lingua transtulit, BOCHAR TVS narrat. m)

Nunc ad tertiam Sabaeorum classem progredimur, qui patrem Iocantanem habuerunt, quos interioris Arabiae sedem tenuisse, scriptores fide digni testantur. Ita enim THEOPHANES, chronographus inenatus saeculi noni celeberrimus, n) vbi de Ismaelitis, Madianitis, et ea Asiae parte egerat, in qua Mahomed natus est, haec subiungit: εἰσι δε καὶ ἐνδοτέροι μηότες τῆς Κυλῆς αὐτῶν, ἀλλὰ τε Ιοκτῶν, οἱ λεγομένοι Ἀμανῖται, τάτεσιν Οὐργίται, h.e. sunt vero etiam interiores, qui non sunt de tribu ipsorum, sed ex familia Iocitanis, qui dicuntur Ananitae vel Homeritae. Nam licet Plinius, Ptolemaeus et Arrianus Homeritas a Sabaeis distinguant: pro via tamen gente habendos esse, Philostorgius, Procopius, Baronius et alii, statuunt, quorum ille testatur, o) Σαβᾶται μεν παλαιοὶ τοις Σαβᾶταις μητροπολεως, νν δε Οὐργίταις παλαιοθαται, h.e. Sabaeos olim ab urbe primaria Saba, (dictos fuisse,) nunc autem Homeritas adpellari. Et idem alio loco narrat, p) Constantium Imperatorem legionem misisse, προς τρεις παλαιοὺς μεν Σαβᾶταις, νν δε Οὐργίταις παλαιόμενος, ad eos, qui olim Sabaei audiebant, iam vero Homeritae vocantur. BARONIVS autem q) his verbis suffragatur: Rex Homeritarum Dunaan, Hebraeus, ditionem tenebat Arabian Felicem, quae olim Saba, nunc autem Homeritis nominatur. Et haec illa est Saba, quae STRABONI dicitur ή τῶν Σαβᾶτων γη ἐνδαιμονεσστη, terra omnium felicissima; et cuius diuitiae balsamo, casia, myrrha, cinnamomo, palmo et calamo odorato constabant, quorum tanta suppetebat libertas, ut eorum lignis ad ignem alendum vterentur, quibus cibi coquuntur. r) Inprimis vero haec Sabaeorum regio thuris feracissima erat, quod non solum litterae sacrae probant, s) sed scriptores etiam profani multis locis testantur. Nam DIONYSIUS PERIEG. fatetur, vniuersam illam diffundere odorem s)

ἡ θυε, η σμυρνη, η ἐνδρύς παλαιοιο,

η καὶ θεσπετοιο πεπανομενα λιθανοιο, h.e. vel aromatum, vel myrrae, vel calami suauolentis, vel etiam diuini et maturi thuris. Ita THEOPHRASTVS, de opibus Arabiae Felicis disputans: t) παντοθεν συνανεγεταις η σμυρνα καὶ η λιθανωτος εις τοιερον τε ηλιο, τετο δε εις των Σαβαιων, h.e. undique colligitur myrrha et thus ad templum solis, atque hoc est Sabaeorum. Et plena

m) in Phal. L. IV. c. 7. p. 220.

n) in Biblioth. Patr. Graec. Lat. T. II. p. 283.

o) L. 2.

p) L. 3.

q) Annall. ad an. DXXII.

r) Hist.

Nat. L. XII. c. 17.

s) Ies. LX, 6. Ier. VI, 20.

t) vers. 937. sq.

t) Hist. Plantar. L. IX. c. 4.

plena sunt poetarum Latinorum carmina thuris Sabaeorum, quos OVIDIUS *thuriferos* adpellat. u). VIRGILIVS autem commenmorat centum aras, quae calent
thure Sabaco, w) alioque loco narrat molles, qui mittunt sua thura, Sabacos, x)
 et iterum ait; *solis est thurea virga Sabaeis*: y) neque VALERIVS FLACCVS
 hoc dissimulat, decantans *thuriferos, horum et felicia regna, Sabaeos*. z). His addi-
 mus testem Arabicum ABVLFEDAM, his verbis idem confirmantem: a)
in montibus urbis Merba, quae est Sabae, arbor thuris crescit, quod inde in omnes
cam orientis, quam occidentis partes, desertur. Neque recentiores peregrina-
 tores hoc diffiteri, ex tabula Arabiae Felicis perspicitur, a celeb. DE L' ISLE
 cura academie Parisiensis edita, et Descriptioni itineris per Arabiam Felicem
 viri eruditissimi DE LA ROQUE praeinssa, vbi haec narrantur; b) *dans*
cette etendue croissent l' encens, les gemmes, et tous les autres aromates les plus
estimés. Atque ex hac Sabaea illam reginam ad Salomonem accessisse, quae di-
 fertis verbis in sacris litteris נָשָׂא נְכָנָה regina Sabae adpellatur, c) non est, quod
 dubitemus. d) Nam legitur plurimos camelos secum aduxisse, aromata et multa
 pretiosa adportantes. e) Consentint testimonia auctorum grauissimorum, quo-
 rum ex numero ABENESRA f) ita disputat: *filia regis austri est regina Sabae;*
 quibuscum verbis ea fore conueniunt, quae in libro IVCHASIN leguntur: g)
regina Sabae venit ex regno Iemen, (i. e. austri, cui hodie regnum Yemen re-
 spondet:) Suffragatur THEODORETUS, h) de Sabaeis loquens: τετρων
 ἑβασιλευεται η Θεωμασιας ἐκενη γυνη, ης ἐπηρεσε την σπεδην ο δεσποτης χεισος,
 h. e. his imperauit admirabilis illa femina, cuius studium Christus laudauit,
 Matth. XII, 42. Nam licet IOSEPHVS illam ex Aethiopia venisse conten-
 dat; i) huius tamen fidem valde dubiam ac sublestam esse, constat, in primis,
 vbi in exoticis versatur. Neque hoc nostram sententiam infringit, quod Saluator
 I. c. eam βασιλεσσαν νοτε, reginam austri adpellat, quia illa pars australis Ara-
 biae omnino erat, ad quam Saba pertinebat, et quae in historia sacra בָּבֶל יְמֵן terra
 meridionalis dicitur. k) Frustra etiam dissentientes obiciunt, feminas impe-
 rium apud Aethiopes obtinuisse, quod exemplo reginæ Candaces probant. l)
 De Sabaeis enim, qui in provincia Ieman (h. e. Arabia australi) versatur, idem
 constat, quod non modo ABENESRA testatur, inquiens: m) *illis, qui in*
regione Ieman degunt, usque ad hunc diem mulieres imperant; sed etiam poeta
 CLAVDIANVS confirmat canens: n)

Medis

- | | | | |
|-----------------------------|--|-----------------------|---|
| n) Faft. 569. | w) Aen. I. 420. | x) Georg. I. 51. | y) Georg. |
| II, 117. | z) Argonaut. L. VI. 138. | a) in Descript. Arab. | |
| p. 62. | b) p. 127. | c) i. Reg. X, I. | d) de qua lega-
tetur Alb. Schultens Comment. de regina Saba. Lund. Bat. 1740. et Io. Ad. Koenigii
Diff. de regina Austri, recusa in Thesaur. Philol. T. II. p. 136. sqq. |
| e) l. c. vers. 2. | f) ad Dan. XI, 3. | | g) p. 136. |
| h) in 3. libr. Reg. Qu. 33. | i) Antiqv. Iud. L. II. c. 5. et L. VIII. c. 2. | | |
| k) Gen. XIII. I. XX, I. | l) Act. VIII, 27. | m) l. c. | n) in Eutrop. L. I. |

Medis leuibusque Sabaeis
imperat hic sexus, reginarumque sub armis
barbariae pars magna iacet.

Tandem neque hoc repugnat, quod illa regina legitur ἐν τῷ περατῷ τῆς γῆς,
i.e. ab ultimis terris ad Salomonem venisse; si quidem ipsi scriptores sacri Sa-
baeos γῆν gentem longe disiunctam nominant o) Graeca autem loquendi
formula nihil aliud, quam regionem longis spatis distantem indicat, quo sensu
apostolus dicit, verbi diuini praedicationem εἰς τὸν περατὸν τῆς ὁμηρίου per-
vasisse, p) Arabes autem fines terrae tenuisse, HORATIVS docet, quaerens; q)

quid censes munera terrae?

quid maris extremos Arabes ditantis et Indos?

et tam Graecos quam Latinos omnia supra maria posita fines terrae vocasse,
plurimis, si locus pateretur, testimoniis ostendi posset. Inprimis vero hanc lo-
quendi formam Arabiae australi bene accommodari, IO. CLERICVS ex vaticinio
Obadiaer) colligit, in quo dictionem γῆν, quam Rabbini in Hispaniam, LXXles
in Ἑραθα, Hieronymus autem in Bosporum mutarunt, pro nomine adpellati-
tivo venditat, atque ex γῆ, terminus, et γῆ, dominatus est, conflatam esse, statuit. s)

Vt vero e diverticulo in viam redeamus, quartae classis Sabaeos paucis
contemplemur, qui ad Abrahamum eiusque uxorem Keturam originem suam
referunt. Et quum ceteri Sabaei interiora Arabiae Felicis tenerent, hi sedem
in illius aditu hand procul à Nabathaeis fixerant. Sic enim STRABO: t) περ-
τοι ὅπερ της Συρίας Ναβαθαῖοι καὶ Σαβαῖοι την ἐδαφον την Αραβίων νεμούσι,
primi supra Syriam Nabathaei et Sabaei Arabiam Felicem incolunt. Nam Na-
batheis cum Sabaeis hoc commune erat, ut utrique genus suum ad Abrahamum
referrent, et, uti Sabaei ex Abrahami filio, Ioklane, ita Nabathaei ex Nebajoth,
Abrahami ex Ismaële nepote procreati essent. u) Eosdem autem irruptionibus
et rapinis seruuisse, ex verbis huius scriptoris statim subsequentibus adparet: καὶ
πολλάκις κατεργεχον αὐτης, περιν ἡ Ρωμαιων γενεθα, et saepe in illam (Arabiam)
excurrerunt, priusquam esset sub potestate Romanorum. Et hi Sabaei procul du-
bio illi fuerunt, qui in possessiones Iobi irruisse, et multum praedae abstulisse,
leguntur. w)

Iam autem, ubi animum et oculos ad psalmum, ex quo argumentum hu-
ius scriptioris petuiimus, conuertimus, quantae dignitatis, auctoritatis et magni-
ficentiae illius sit regnum videmus, ad quem gentes ex disiunctissimis regioni-
bus

o) Ioe. IV, 8.

p) Rom. X, 18.

q) L. I. Ep. VI. 6.

r) Obad. ψ. 20.

s) in Comment. ad h. l.

t) L. XVI. p. 536.

u) Gen. XXV, 13.

w) Hiob, I, 15.

bus accedunt, munera pretiosissima adferentes, coram throno illius se prosternentes, et obsequium promptissimum testatum facientes. Quamuis enim hic psalmus נַחֲלָה h. e. Salomoni inscribatur: Salomonem tamen pro auctore illius haberi non posse, clausula eiusdem docet, his verbis concepta: וְיֵצֶר לְבָדָק הַנּוֹתָרִים h. e. ad finem perducti sunt psalmi Davidis: nisi illa cum CHR. FRID. BAVERO vertere volueris: sic perficiantur preces Davidis! x) Neque de Salomone argumentum illius explicari potest, quippe cuius regnum neque aeternum, neque immensum, neque ex omni parte beatum fuit, quae omnia de eo rege, qui in illo describitur, praedicantur. y) Vnde etiam R. KIMCHI z) statuit, de Christo hunc psalmum explicari posse, qui alias Salomo appellatur. a) Et huius regni perfectissima iustitia, b) summa felicitas, c) secunda amplitudo, d) et insignis honor, e) coloribus tam vividis depinguntur, ut haec ornamenta nemini tribui possint, nisi Christo, quem vates diuinus hoc laudum epiphonemato insignit; f) nomen eius in perpetuum durabit, et, quamdiu sol stabit, fama eiusdem propagabitur, atque in illius obsequio omnes populi adquiescent.

Hac promulside praemissa, illud officium adgredimur, quod pietas certo beneficio debita iis scholae nostrae commilitonibus imperat, qui quotide liberali conuictu sustentantur. Quae munificentia hoc tempore eo majoris est facienda, quo grauiori annonae caritate patriam nostram premi, sentimus. Et quia vir omni laude et memoria dignus, IO. BARTHOL. IENICHIUS, iustam pecuniae summan ad beneficium illud conseruandum, ea lege contulit, ut singulis annis die Bartholomei nomine inscripto, oratio publica in hac schola habetur, hanc prouinciam hoc anno suscepit, qui iam primum inter conuictores locum tenet,

CHRISTIAN GOTTLIEB ROTHE,

Berthelsdorf-Misn.

sermone silo Latino concepto amabilem Palladis imaginem representaturus, quae ab hominibus profanis pro dea et praefide omnium artium ac scientiarum habebatur. Quicunque igitur litterarum studiis fauetis, ab humanitate nomen nactis, Vos etiam atque etiam rogamus, ut hanc scholae pietatem Vestra benevolentia ornare, et iuuenem pium modestum et industrium cras ante meridiem, hora IX. audita, auscultare velitis. P. P. Freibergae. a, d. XXVI. Aug.

A. S. R. MDCCCLXXI.

x) in Consideratione Theologiae regiae, quam liber psalmorum tradit. p. 39^o.
y) v. 5. 8. 11. 15. 17. z) Comment. ad h. l. a) Cant. III,
II. et VIII, II. b) v. 1—4. c) v. 5. 6. 7. d) v. 8.
e) v. 9. sqq. f) v. 17.

Yb-627

(811148)

TA>OL

ULB Halle
001 508 164

3





B.I.G.



DE
מלכי סבא ושבא

h. e.

REGIBVS SEBAE ET SCHEBAE

EX PSALM. LXXII, 8.

PRAEFATVS

AD

ORATIONEM ANNIVERSARIAM

MEMORIAE

NOMINIS IENICHIANI

DESTINATAM

OBSERVANTER INVITAT

M. IO. GOTTL. BIDERMANN

RECT. GYMN.

FREIBERG AE,

Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII.

CXXXXIII.

